

non esse necessarium se ipsa suscipere baptismum, sed satis esse ad justificationem votum baptismi, quando non est contemptum, sed ex sola necessitate baptismum omittit. Sed quia quum hæc sententia in Concilio illo decerneretur, aliqui erant, quamvis pauci & minus docti, quibus hæc definitio non placebat, oportet illorum objectionibus respondere. Primo nobis objiciunt Augustinum, libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 74. dicentem: „Nullum, cathecumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere, excepto martyrio ubi tota baptismi factamenta complentur. „ Sed huic objectioni nos facile respondemus negando illud opus esse Augustini, prout multi alii ante me hoc negaverunt, dicentes illud esse Gennadii. Be certe cum ex aliis multis, tum etiam ex hoc loco persuaderetur librum illum non esse Augustini: quia non est credendum Augustinum fuisse adeo sui oblitum, ut in isto libro, & in aliis supra citatis sententias tam aperte contrarias scripserit, præsertim cum non recitaverit in posteriori libro, nec mentionem ullam fecerit eorum, quæ dixerat in priori. Si liber ille (ut multi putant) habet Gennadium auctorem, parum urgetur illius testimoniam, quia ille non est tantæ estimationis, ut suæ auctoritatis pondere nos premere valeat. Secundo objiciebant in Concilio Tridentino illi quos dixi de Centurione illo Cornelio, cui antequam de fide Christi fuisset edoctus, Angelum dixisse asserebant (Act. 10.) Mitte in Joppen, & accersi Simonem qui cognominatur Petrus, qui loquitur tibi verba in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. Si in his quæ Petrus erat illi dicendus, salvandus erat Cornelius, & tota domus ejus: ergo ille nondum erat justus antequam fuit à Petro in fide instructus, & baptizatus. Hæc objectio est inanis & omnino robore carens. Nam Cornelius antequam Petrum videret, vere justus erat, prout beatus Augustinus docet lib. 4. de baptismo contra Donatistas, cap. 21. sic inquit: „Melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus, Simone baptizato. Ille enim & ante baptismum Spiritu Sancto repletus est. ite & post baptismum immundo spiritu afflatus est. Verumtamen Cornelius si etiam Spiritu Sancto jam accepto baptizari noluisse, contempti, tanti Sacramenti reus fieret. „ Hæc Augustinus. Sed non est opus Augustini testimonio, ubi tot & tam aperta sunt scripturæ sacræ testimonia. Nam scriptura de illo refert (Act. 10.) quod erat vir religiosus & timens Deum, & quod elemosinæ illius tales erant, ut ascenderint in memoriam in conspectu Dei. Quæ omnia non nisi de homine justificato, vere dici poterant. Sed illud est apertius, quod loquente Petro ad turbam, quæ convenerat in domo Cornelii, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, & locuti sunt variis linguis, & postea dixit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine domini nostri Jesu Christi. Ecce vides non solum Cornelium, sed multos alios Spiritu Sancto repletos, antequam sacramentum baptismi recepissent. Verba autem quæ afferunt ad probandum Cornelium non fuisse justum ante baptismi susceptionem, non sunt de scriptura sacra, neque habentur in Bibliis sacris quæ passim circumferuntur. Nam communibus Bibliis, quæ hactenus videre licuit, non sunt hæc verba, Qui loquitur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. Verba autem quæ scriptura refert dixisse Angelum ad Cornelium, quum de Petro illi loquebatur, sunt ista: Hic dicit tibi, quid te oporteat facere. Ex istis autem verbis

nullo modo potest colligi, Cornelium tunc, ante baptismum susceptum, non fuisse justificatum: sed solum hoc potest ex illis verbis colligi, quod licet tunc esset jam justificatus adhuc tenebatur suscipere baptismum: quia hoc Petrus facere jussit, postquam illum & alios omnes qui ad domum ejus convenerant in fide instruxerat. Baptismum autem esse necessarium ad salutem omni homini quantumlibet alias justificato, nos etiam confitemur, & illud aperte confirmatum est testimonio Augustini & Bernardi, quæ supra per me citata sunt.

Undecima circa baptismum hæresis orta est, quæ licet concedit, per baptismum peccatum originale dimitti, negat tamen per illum omne peccatum deleri. Quia baptismum suscepto manet adhuc carnis concupiscentiæ, vel carnis rebellio, quæ (ut hujus hæresis auctores docent) vere peccatum est, quamquam non imputatur à Deo. Quod autem ipsa concupiscentia sit vere peccatum, inde probare contendunt, quia (ut illi ajunt) est contra illud Dei præceptum, Non concupisces. Hujus hæresis parens & primus auctor fuit Lutherus, quem postea secuti sunt Philippus Melancthon, & Martius Butzerus monachus, apostata ex ordine Sancti Dominici, Brentius, & multi alii germani ejusdem factionis Lutheranae. In hac hæresi, prout nunc enarrata est, duomiserunt errores, quorum unus oritur ab altero. Primus est qui asserit baptismum non delere omne peccatum. Secundus docet concupiscentiam carnis esse peccatum contra illud præceptum, Non concupisces. De hoc secundo errore nihil hoc loco dicemus: quia in titulo, Præceptum, in ista Deo ducere contra illum disputabimus, & commodior illic erit hinc disputationi locus, & ideo ad illum locum, pro hac re mitto lectorem. Contra primum ergo errorem nunc pugna aggrediens, primum objicio id quod Michæas propheta cap. 7. ait: Deponet iniquitates vestras, & projiciet in profundum maris omnia peccata. In quibus verbis propheta baptismi virtutem & efficaciam apertissime declaravit esse tantam, ut omnia peccata absorbeat, & nullum vivere sinat. Nam quod de baptismo ibidem loquitur propheta, convincitur per id quod ait Paulus (1. Cor. 10.) Patres nostri omnes mare transierunt, & omnes in mari baptizati sunt, & in nube. Ex quibus verbis satis aperte constat, baptismum fuisse per mare figuratum, & illi comparatum. De hoc igitur mari propheta Michæas loquitur, quum dicit: Projiciet in profundum maris omnia peccata. Non dixit, aliqua: sed omnia. Forte Lutherus & sui consortes dicent, Baptismum, juxta Pauli sententiam, non esse figuratum in quolibet mari, sed in illo mari rubro per quod patres nostri transierunt. Michæam autem non de illo speciali mari fuisse locutum, ac proinde contendunt verba propheta in sensum à littera (ut solent) valde alienum detorqueere. Sed nec sic evadere poterunt, quin eos convincamus, quoniam ex sua responsione efficacissimum contra illos fumam argumentum. Si mare illud rubrum per quod patres nostri transierunt, fuit figura baptismi, consequens est ut Ægyptii, qui patres insequerantur, figuraverint peccata quæ nos persequuntur, & Pharaon Ægyptiorum rex figuram gesserit demonis, quod (ut est apud Job) est Rex super filios superbiæ. At in mari illo in quo salvi facti sunt filii Israel, omnes Ægyptii qui illos persequerantur simul cum Pharaone eorum rege, perierunt. Reversa sunt aqua, inquit sacra scriptura, (Exod. 14.) & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui persequentes ingressi fuerant

mare, nec unus quidem superavit ex eis. Ut igitur figura vere respondeat figurato, oportet ut in aqua baptismi omnia peccata pateant, nec unum superstit ex illis. Præterea, hæc sententia apertius confirmatur per id quod Deus per Ezechielem prophetam cap. 36. ait: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Non dixit, ab aliquibus inquinamentis, sed ab omnibus, ut intelligamus nullum esse exceptum, quod non sit per aquam diluendum. Hæc autem Ezechielis verba esse de sacramento baptismi intelligenda, omnes sacri doctores concorditer docent, quoniam nulla est aqua quæ possit ab omnibus inquinamentis mundare, nisi sola aqua baptismi. Rursum, Salvator noster baptismi necessitatem proferens, baptismum ipsum appellavit regenerationem, sic inquit: (Joann. 3.) Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. Et Paulus (Tit. 3.) ut Christi verba aperte faceret, postquam baptismum appellavit lavacrum regenerationis, statim addidit, & renovationis. Per quæ verba declaravit, qualis esset ea regeneratio quæ per baptismum habetur, talis videlicet quæ animæ vetustatem deponat, & novitatem inducat. Nam propter hanc causam, resurrectionem corporis Christus salvator noster apud Mattheum cap. 19. vocat regenerationem, quia per illam resurrectionem corpus sic prorsus renovatur, omnia antiqua exuens, ut jam nova generatione genitus esse videatur. Jam abiit fames, recessit sitis, fugerunt morbi, cruciatu, dolores, lascivitudines, corruptiones, denique vetera omnia transierunt, & nova facta sunt omnia. Sola corporis substantia manente eadem, fere omnia corporis accidentia mutata sunt. Idem prorsus contingit in anima per baptismum: quoniam per illum homo qui antea erat filius diaboli per peccatum, postea per baptismum efficitur filius Dei. Est ergo per baptismum renovatio in anima, quemadmodum per resurrectionem sit renovatio in corpore. Non fuisset autem integra & perfecta renovatio, si aliquid de vetustate peccati remaneret. Ad hanc etiam tendunt multa quæ ad Romanos Paulus scribens, & de peccato originali, ac de illius remedio, quod est baptismus, disserens ait, cap. 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum dominum nostrum. Si peccatum manet post collatam baptismi gratiam, jam non gratia, ut Paulus docet, sed peccatum superabundaret. Sed ut apertius Lutherum convincamus, opere pretium erit attendere modum superabundantiæ quem Paulus declarat: Ut sicut (inquit ille) regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnet per justitiam. At quum peccatum regnabat in homine, nulla erat in illo Dei gratia: ergo è contrario regnante Dei gratia in baptizato, nullum erit in illo peccatum, alioqui non vere diceretur regnare in illo, & inde ulterius sequeretur gratiam non superabundare, ubi abundaverat delictum, cujus contrarium docet Paulus. Et licet aperte hoc loco Paulus damnet Lutherum, multo tamen apertius & fortius id agit postea in eadem epistola cap. 6. sic inquit: An ignoratis fratres, inquit ille, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus? Consequuti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. In quibus verbis Paulus apertissime docet nos per baptismum fieri membra corporis mystici cujus caput est Christus: & tunc mortem Christi in nobis ipsis sentire, quoniam mortuo Christo in cruce pro peccatis nostris, qui est caput nostrum, tunc nos qui sumus membra ejus

morimur peccato cum ipso. Nam si caput alienus hominis abscedas & interficias, necessario omnia illius membra commoriuntur. Ad eundem modum mortuo Christo, commoriuntur illi baptizati, qui tunc suscepto baptismi facti sunt membra ejus. Aliter tamen ille, & aliter nos, per baptismum morimur, quia ille mortuus est corpore, nos autem morimur peccato, Cor illius mortuus est in cruce, & peccatum nostrum moritur baptismate. Unde beatus Chrysostomus sermone decimo super epistolam ad Romanos, prædicta Pauli verba declarans, ait: „ Quid est quod dicit, in mortem ipsius baptizati sumus? Hoc, scilicet, baptismi crux est, ut & nos quemadmodum ipse mortuus est moriamur. Quod igitur crux & sepulchrum Christo fuit, id nobis baptismus factus est, licet non omnino in rebus eisdem. Ipse quidem carne & mortuus est, & sepultus, nos à vero peccato utrumque sumus. Propterea non dicit, Complantati morti illius, sed similitudini morti illius. Mors quidem utrimque est, & illa, & ista, verum non eodem subjecto. Illa siquidem quæ Christi est, carnis: quæ vero nostra, peccati est. Quemadmodum autem verax illa, ita verax & ista. „ Hæc Chrysostomus. Ex quibus verbis constat Pauli doctrinam esse, quod baptismum peccatum est plene mortuum, sicut in cruce Christus fuit adeo plene mortuus, ut nihil in eo humane vitæ remaneret. At si post baptismum maneret aliquid in baptizato, quod vere sit peccatum, in baptismo non ita plene moreretur peccatum, sicut Christus in cruce fuit mortuus. Sed adhuc pergit Paulus eandem sententiam docere per ea quæ post priora verba in eodem loco subnequit, sic inquit: „ Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati. Non dixit, ut destruat, peccatum, ne putaretur unum aut alterum peccatum esse destructum: sed dixit, ut destruat corpus peccati, ut doceret nihil ex peccato remanere. Et si forte aliter Lutherus hæc verba Pauli aliter esse intelligenda contendat, addat obsecro beatum Chrysostomum illa verba interpretantem, qui sermone undecimo super epistolam ad Romanos hæc ait: „ Non hoc corpus ita vocans, sed universam illam malitiam nostram, quemadmodum & omnem malitiam veterem hominem vocat. Quod vero non sit incerta quædam conjectura: quod hic dicitur, ex eis quæ sequuntur, ipso Paulo id ipsum interpretante, audire poteris. Cum enim dixisset, ut aboleretur corpus peccati, subjunxit. Ut posthac jam non serviamus peccato. Volo siquidem ut corpus hoc nostrum peccato sit mortuum, non ut perdat & interimitur, sed ut non peccet. Progreduendo vero clarius adhuc facit quod dictum est. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. De quo vis istud homine dicit, nimirum quod quemadmodum qui moritur, liber jam est à peccatis, quamprimum mortuus deponitur: ita & qui à baptismate ascendit. Quamdoquidem enim qui baptizatus est, in baptismate peccato mortuus est semel, oportet ut & in morte peccati perducatur. „ Hactenus Chrysostomus. Ad eundem modum interpretatur Theophylactus sic inquit: „ Etenim vetus noster homo, id est malitia, simul crucifixus est: hoc est, peritine ut corpus Christi, in baptismate sepultum est, ut aboleatur corpus peccati, id est, ex variis partibus compositum vitium. Ac tamquam unum corpus sit peccatum, vel corpus nostrum peccabile, infert propterea, ut ne porro serviamus peccato. „ Hæc Theophylactus. In eadem sententia est Anselmus, qui prædicta Pauli verba multo apertius declarat, hæc ait: „ Corpus

donec finiatur mille anni. Propter hæc verba Apocalypsis male intellecta, credidit Christum in terra cum sanctis secundum carnem mille annis regnaturum: quia illa verba Apocalypsis credidit juxta litteræ corticem, & non juxta mysticum sensum esse intelligenda. Unde Euseb. lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 39. de hoc Papiæ loquens, sic ait: Dicitur autem & alia plurima à majoribus sibi tradita miracula, & novæ quædam parabolas Salvatoris, & doctrinam incognitam, magisque fabulosam, mille annos futuros post resurrectionem, quibus corporaliter regnum Christi in hac terra futurum sit. Sed ego puto eum spirituales, & mysticas Apostolorum traditiones corporaliter, & secundum litteram suscepisse, nec potuisse discernere ea quæ illi in figuris velut læcentibus, & parvulis loquebantur, qui & revera etiam ex ipsis quæ conscripserit opusculis, exigui sensus vir & minus capax offenditur. Multis tamen post se Ecclesiasticis viris erroris hujus præbuit causas, auctoritatem dogmatis tantum ex vetustate tribuens, non etiam ex ratione dicatorum, sicut Irenæo, & si quis alius eum in hac parte vitiosus est sequi. Hæc Eusebius. Quamvis ergo in hac parte Papiæ erraverit, non tamen propter hoc aliquis antiquorum illum nota hæretici inuasit: quia nec pertinax forte fuit, ut meliora docenti obtemperare noluerit. Pertinacia vero est præcipua pars quæ hæreticum efficit, ut jam supra docuimus. Propter quod non possum cohibere me metipsum quin successorem fratri Bernardo de Lutzemburgo, qui in suo catalogo hæreticorum non veritus est hunc Papiam aliis hæreticis annumerare, præcipue cum hoc apud nullum antiquorum fuisse factum repererit. Beatus enim Augustinus in suo libro de hæresi ad Quodvultdeum, cum omnes hæreticos recenset, numquam hujus Papiæ meminit. Philaster Brixiensis Episcopus nullam in suo libro de Hæresibus, de hoc Papiæ fecit mentionem. Isidorus etiam in 8. lib. Etymologiarum, cum omnes quos potuit scire hæreticos enumeraverit, nec de Papiæ ullam fecit memoriam. Omitto Guidonem, quoniam is recentior est quam ut in vetustis hæreticis enumerandis fides ei adhibeatur. Quod si aliqua illi fides debetur, numquam etiam ille hujus Papiæ meminit. Si ergo nullus istorum illustrium viro- rum Papiam inter hæreticos recensuit, unde habuit frater Bernardus de Lutzemburgo, ut eum hæreticum censuerit? Si enim propterea quod Hieronymus dixit Papiam mille annorum Judaicam edidisse *deyterostan* statim erat inter hæreticos collocandus, quare etiam eadem ratione non annumeravit inter eosdem Irenæum, Apollinarem, Lactantium, Victorinum Pictaviensem, cum de his omnibus referat Hieronymus eodem loco quod secuti sunt Papiam in hac parte? Aut ergo Papias non est hæreticus censendus, aut alii qui eum in hac parte sunt secuti, eadem ratione dicentur hæretici. Hæc omnia in medium placuit adferre, ut videant hi qui facile de hæresi pronuntiant, quam facile etiam ipsi errent, & intelligant non esse tam leviter de hæresi censendum, præcipue cum non sit pejus crimen quod viro Christiano possit impingi, quam si hæreticus appelleretur. Papias ergo, & qui eum secuti sunt, hoc senserunt, Christum videlicet post resurrectionem regnaturum cum justis mille annis in terra. Et sic sentientes, græco vocabulo *chiliasitas* appellati sunt. Quod verbum è verbo exprimentes latine dicere possumus millenarii. Cerinthus autem de regno Christi per mille annos in terra sentiens carnales quædam voluptates in illo regno futuras, ponit

& vitia quædam portentosa cujuslibet libidinis. Præter hoc sensit etiam regnum Dei post illos mille annos in terra, futurum in cælis, in voluptatibus carnis, & in gula, & luxuria. Quæ in re latissime abest à sensu Papiæ, & aliorum qui Papiam sunt secuti. Quod autem Cerinthus hæc duo asseruerit, apertissime ostendit Eusebius in libro tertio Ecclesiasticæ historiæ, capite vigesimo octavo. Sic enim de Cerintho loquens, ait: Post resurrectionem terrenum dicit futurum esse regnum Christi in Hierusalem, & homines in carne iterum concupiscentiis, & vitiiis subjectam conversationem habituros. Contra fidem quoque scripturarum, quosdam mille annos designat: in quibus multa quidem, & alia corruptionis opera, & nuptiarum festivitates dicit futuras, ad eos qui libidini sunt dediti, decipiendos. Sed & Dionysias cum de Joannis revelatione disereret, & quædam secundum ea quæ antiquitus Ecclesiæ tradita fuerant, disputaret, mentionem facit hujus ipsius viri in his verbis: Cerinthus, inquit, à quo Cerinthiana hæresis oborta est, figmentis suis auctoritatem magni nominis acquirere secundum scripturæ hujus pravam intelligentiam gestiebat: quippe cujus hæc erat hæresis, ut affirmaret terrenum futurum esse Christi regnum. Et quia erat ventri, & gulæ, ac libidini deditus, ea futura decreverat, quæ sibi propria libido dictabat. Ventris, & eorum quæ sub ventre sunt, incitamenta, cibis, potibus, nuptiis prædicabat explenda. Et ut aliquid sacratius dicere videretur, legales ajebat festivitates rursus celebrandas, & hostias carnales iterum jugulandas. Hæc Eusebius. Ex quibus verbis, & aliis quæ supra de Papiæ ex eodem Eusebio attulimus, constat latum esse discrimen inter Papiæ, & Cerinthi errorem: quoniam de Papiæ nihil aliud habemus præterquam quod ait Christum mille annis regnaturum in terra cum sanctis post resurrectionem. An autem Papias senserit in illo mille annorum regno futuras esse delicias carnales, an spirituales, mihi non constat. Quod si eas futuras dixit spirituales non erat gravis error. Nam beatus Augustinus, libro vigesimo de Civitate Dei, capite septimo, de hac sententia disputans, non audeat appellare errorem, sed opinionem. Sic enim loco præallegato ait: Quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliqua delicia spiritalia, les in illo sabbato asistatur sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Hæc Augustinus. Ex quo iterum patet male sensisse fratrem Bernardum de Lutzemburgo, cum recensuit Papiam inter hæreticos; quoniam beatus Augustinus ait tolerabilem esse opinionem illam mille annorum, si in illis annis spirituales, & non carnales ponantur delicia. At Cerinthus (ut modo enarravimus) carnales dicit futuras delicias, non solum in illo mille annorum regno, sed etiam in posterum; quoniam eam in illo Dei regno futura dicebat, quæ propria libido dictabat: & in illis felicitatem summam figebat: & propter hanc causam, hunc ipsius Cerinthi errorem sub titulo Beatitudinis locavimus. Nec miretur lector quod tam longam in enarranda hujus hæresis historia fecimus disputationem: quoniam video plures in hoc errasse, ut errorem Cerinthi cum errore Papiæ confundant, credentes unum esse utriusque errorem: quapropter oportuit eorum discrimen ostendere. Superest jam ut ostendamus in illo regno beatitudinis nullas esse futuras carnis delicias, quemadmodum Cerinthus fabulatur. Primo omnium, Paulus huic sententiæ apertissime obviat

(Rom.

(Rom. 4.) dicens: Regnum Dei non est esca, & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Præterea si regnum Dei, hoc est beatitudo in carnis delitiis consisteret, nulla esset rectoria via ad illud regnum, & beatitudinem assequendam, quam vita in carnis voluptatibus expleta: quoniam nulla est rectoria via ad beatitudinem, quam illa quæ simillima est termino viæ, ipsi videlicet beatitudini. Hinc veri catholici, & fideles qui suam beatitudinem figunt in Dei cognitione, & amore, nullam etiam aliam breviorē, & certiorē viam ad beatitudinem assequendam docent, quam veram Dei cognitionem, & perfectam illius dilectionem. Si ergo beatitudo in carnis voluptatibus sita est: carnis voluptas certissima erit via ad beatitudinem adipiscendam. At nihil magis impedit beatitudinem consecutionem, quam carnales delicia. Paulus enim Apostolus recensens eos quibus regnum Dei est interdictum, inter eos enumerat carnis voluptatibus deditos. Sic enim ait: (1. Cor. 6.) Neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et iterum: (1. Cor. 15.) Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem celestis. Hoc autem dico fratres, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Nominem autem carnis, & sanguinis designavit vitam secundum carnem, & sanguinis instinctum: quod patet ex eo, quia per illius declaravit imaginem terreni hominis. Et alibi in ea videlicet quæ est ad Galatas epistola, cap. 5. postquam enumeravit opera carnis, subiungit: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Si ergo opera carnis adversantur consecutioni ipsius regni Dei: qui sit ut ipsam regnum Dei in eisdem operibus carnis consistat? Rursus ipse veritatis magister hunc errorem propria voce damnat: quoniam Saducæis de resurrectione disputantibus respondens, ait: (Matth. 22.) In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Si in resurrectione non sunt nuptiæ (juxta dictum Salvatoris) oportet necessario fateri, ut non sit ibi fornicatio, aut alius quicumque concubitus. Et quoniam dicit homines futuros sicut sunt Angeli Dei, oportet etiam concedere nullum illis futurum cibi corporalis gustum. Unus enim ex his qui astant coram Domino, videlicet Raphael, Tobie loquens, cap. 12. ait: Cum essem vobiscum per voluntatem Dei, videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, qui ab hominibus videri non potest, utor. Hic autem cibus qui ab hominibus videri non potest, Deus ipse est: quem videntes, & amantes gustant. Unde Regius Propheta (Psalm. 32.) ait: Gustate, & videte quam suavis est Dominus. Si enim ipse Deus non esset cibus animæ nostræ, numquam Propheta præcipere ut gustarem ejus suavitatem. Non enim gustatur nisi quod comedi, aut bibi potest. Et de hoc spiritali cibo, & potu intelligenda sunt auctoritates illæ quæ in utroque scripturæ sacræ instrumento promittunt in illa futura beatitudine cibum, & potum: ut apud Esaiam 45. dicitur: Servi mei comedent, vos autem esurietis: servi mei bibent, vos autem sitietis. Tunc enim satiabuntur (ut ait Regius Propheta Psalm. 116.) cum apparuerit gloria Domini. Sic etiam accipiendum est quod ait Saluator: (Luc. 17.) Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Quemadmodum enim Christus Filius Dei satiatur per visionem essentiae suæ, quam accepit à patre suo per ge-

Tom. I.

nerationem: sic etiam nos satiari oportet per visionem essentiae divinæ: quam visionem ut nos assequeremur, Christus obtinuit per merita suæ passionis: & tunc disposuit nobis mensam, cum meruit ut nobis daretur gloria, in qua videntes Deum, satiamur ejus visione. Cerinthus cum esset carnis voluptatibus deditus, non credidit alium esse cibum spirituales animæ, & alium corporis: quapropter omnes auctoritates quæ de cibo, & potu, de convivio, de cæna, pro illa futura beatitudine loquuntur, putavit juxta litteram carnaliter intelligendas. Non attendit enim alium esse cibum præter eum qui oculis carnis videtur, & dentibus atteritur. Si enim verbum Dei (juxta dictum Salvatoris Matth. 4.) est cibus animam nutrens, quanto magis nutrit, & reficit ipsemet Deus? Moytes namque solo Deo colloquio quadraginta diebus absque alio corporali cibo nutritur. Hos duos cibos, videlicet corporalem, & spirituales, & eorum discrimen, Saluator descripsit, (Joann. 6.) dicens: Operamini non cibum qui perit: sed qui permanet in vitam æternam. Hæc adversus Cerinthi errorem dicta sufficiant: omittis aliis argumentis, quæ in scholis pertractari solent ad probandum beatitudinem in sola Dei visione, & illius dilectione consistere. Ubi namque apertissima sunt scripturæ sacræ testimonia, superfluum est argumenta plura superaddere, velut si quis velit lumen addere fulgentissimis solis radiis. Alter etiam Papiæ error, de mille annorum regno, quibus ait Christum post resurrectionem regnaturum secundum carnem, ex supradictis convictus est. Nam Saluator dixit: (Matth. 22.) In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Ex quibus aperte convincitur, post resurrectionem non esse futurum ullum maris, & feminæ coitum, nullum etiam cibi, & potus usum: & per consequens, nullam secundum carnem vitam. Illud autem quod in suæ sententiæ confirmationem ex Apocalypsi producit, mihi intellexerunt, & propterea in errorem lapsi sunt. Sic enim dicitur in Apocalypsi, cap. 20. Et vidi animas decoloratorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei: & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt charactorem ejus in frontibus, aut in manibus suis, vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis. Cateri vero mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima: beatus, & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his verbis Apostolus ostendit discrimen inter bonos, & malos. Boni etenim qui non adoraverunt bestiam, id est dæmonem, vixerunt, quia etiam corpora eorum nunc mortua sint, animæ tamen eorum vivunt per gratiam, & gloriam quam nunc possident. Et hæc vocatur resurrectio prima, quæ ad gratiam, & gloriam animarum pertinet. Quapropter B. Joannes dixit: Beatus, & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. Alia est resurrectio secunda, quæ erit cum corpora eorum accipiant immortalitatem. Et per oppositum, mors etiam est duplex. Quædam dicitur prima, & est peccatum, quod est mors animæ: de qua morte Saluator ait: (Luc. 9.) Sine mortuos sepelire mortuos vivos: ut videlicet in anima mortui sepelirent mortuos in corpore. Secunda mors, est damnatio perpetua. In quam mortem præcipiuntur, qui à prima quæ est mors peccati, non resurgunt. Et ideo merito beatus qui habet partem in resurrectione prima. Sancti ergo viri qui propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei decollati sunt,

Dd

&

vit quidam Petrus Abailardus, dicens Deum non videri per essentiam à beatis. Hic Petrus natione Gallus fuit, tempore Innocentii Papæ hujus nominis secundi, qui suo confusus sanctorum doctorum sententias contemnere cepit, & velut alter Ismaël manus suas contra omnes levavit. Quapropter justum fuit, ut manus omnium contra ipsam levarentur. Ex hac igitur nimia sui confidentia evenit, ut in multis laberetur errores, quos alii eum secuti, defendere conabantur, præcipue quidam Italus dictus Arnaldus Brixiensis, à quo (ut opinor) dicti sunt Arnaldistæ hæretici, qui singulis annis Romæ in Cena Domini excommunicantur: & in cap. Excommunicamus, extra de hæreticis. Contra hunc Petrum Abailardum surrexit Sanctus Bernardus, qui ut cum eo disputaret, & ad veram fidem revocaret, e suo monasterio in Burgundia sito ad civitatem Remensem venit: Petrus tamen veritus ne à beato Bernardo vinceretur, noluit cum eo congressi. Sic enim ipsemet B. Bernardus refert in quadam epistola, quæ est in ordine aliarum 190. Inter alios ergo errores quos docuit, is unus fuit, quo ait Deum non videri à beatis per essentiam suam. Post hunc Petrum surrexit quidam Almaricus, de quo jam superius diximus, qui hunc tutatus est errorem, dicens Deum non videri ullo pacto in se, sed in suis creaturis. Inter hos ergo omnes de hoc convenit, quia omnes asserunt Deum nec etiam à beatis ullo pacto videri. Hanc autem asseritionem esse hæreticam expressis testimoniis scripturæ apertissime convincemus. Paulus siquidem in 1. ad Corinth. epist. cap. 13. discrimen assignans inter eam cognitionem quam in hac vita de Deo habemus, & eam quam postmodum in gloria habituri sumus, ait: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ecce aperte Paulus promittit pro alio sæculo facialem Dei visionem. Quod si Deus per creaturas tantum videretur, & non amplius, quis non videt illam esse visionem per speculum? Nam in creaturis quædam Dei imago apparet: quapropter creatura ipsa speculum quoddam est per quod Deum videmus. Quo fiet, ut beati solum in creaturis Deum videntes (prout isti hæretici asserunt) adhuc videant per speculum, & ita non clariorem habeant noticiam, quam hi qui in hoc sæculo degunt. Præterea beatus Joannes in Apocalyp. cap. 22. loquens de statu cælestis patriæ sub nomine & figura novæ Hierusalem, ita dicit: *Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei & agni in illa erunt: & servi ejus servient illi, & videbunt faciem ejus.* Rursus dominus Jesus Christus parvulus qui in illum credunt, commendans, ita apud Matt. cap. 18. loquitur: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillulis: Dico enim vobis quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Ecce ex salvatoris nostri sententia, Angeli semper vident faciem Dei. Qualiter ergo hi hæretici non verentur dicere Deum nunquam videri in se? Apparet certe eos convenisse in unum adversus dominum, & adversus Christum ejus. Quod si forte dicant se de hominibus solum dixisse, & non de Angelis, ita ut Angelis permittant Dei visionem, hominibus autem negent: attendat quod per eundem Salvatorem dicitur, (*Matth. 22.*) *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Ex quibus verbis apparet Christum æquasse homines Angelis pro alia vita. Verum hæc auctoritas (ut ingenue fatear) solum æquat homines Angelis in hoc quod nullum matrimonium habebunt, sicut nec Angeli: non tamen ibidem facit eos pares quantum ad facialem Dei visionem. Tamen

esto ibidem non dicat, negare non possunt Paulum & Joannem in locis proxime citatis de hominibus expressè loqui, quapropter si ad solos homines suam asseritionem restringit, illa duo scripturæ loca illis objiciunt. His etiam accedit quod Regius Propheta petit, dicens (*Psal. 79.*) *Ostende faciem tuam, & salvati erimus.* Non autem petit id quod donari erat impossibile: alioqui audire mereretur id quod dominus duobus fratribus per matrem preteritis dixit: (*Matth. 20.*) *Nescitis quid petatis.* Hoc etiam petit Moyses, (*Exod. 34.*) dicens: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut videam te.* Ecce apertissima sunt testimonia quibus ostendimus Deum à beatis videri per essentiam suam. Quid autem hos hæreticos moverit ut sic errarent, à nemine citatum reperi. Nam & Guido qui hunc Armenorum errorem discutit, nihil adducit unde ansam sui erroris acceperint, si cut nec in universum in ullo umquam errore facit. Sic enim aliorum errores rejicit, ut nunquam illorum argumentis respondeat: quod tamen necessarium erat perinde ac alterum. Nam ut ait Augustinus in lib. de Doctrina Christiana, valde bonum est, ut quicquid contradici potest, si occurrerit, refutetur: ne ibi occurrat ubi non erit qui respondeat: aut præsentem quidem & tacenti occurrat, & minus sanatus abscedat. De hac ergo re (ut opinor) ansam erroris ceperunt, quia in plerisque locis scripturæ dicitur, Deum non videri ab aliquo. In Exodo namque dicitur, cap. 34. *Non videbit me homo & vivet.* Et Job de sapientia divina loquens, cap. 28. ait: *Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli later.* Et Paulus in prima ad Timot. epistola, cap. 6. ait: *Qui lucem habitat inaccessibleem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Et beatus Joannes in 1. sua catho. epist. dicit, *Deum nemo vidit umquam.* His ergo scripturæ locis male intellectis mihi visum est hos hæreticos posse adduci in præfatum errorem, quæ in medium proponere oportuit, eisque respondere, ne alii forte legentes, & non intelligentes in eundem labantur errorem. Fatemur quidem Deum in hac vita mortali à nemine videri, immo nec videri posse juxta legem datam ad hominem viventem vita hæc corruptibili: quoniam aut videret visu corporeo, aut per intellectum. Corporeus sensus (ut manifestum est) non est capax visionis divinæ. Anima vero cum intra corpus mortale est, ministerio sensuum utitur: quapropter necessarium est ut non excedat operationem illorum: quoniam artifex non potest subtilius opus operari quam patitur natura instrumenti quo mediante operatur. Cum ergo anima utatur sensibus tamquam instrumento ad suas operationes, non poterit ultra evagari quam circa illa quæ vis sensitiva. Sensus autem non potest Deum videre. Nec ergo anima cum intra corpus mortale existit, utens ministerio sensuum, poterit Deum videre. Et ad hunc sensuum spectant quæ Deus loquitur in Exod. cap. 33. dicens: *Non videbit me homo & vivet.* Et quod Joannes ait: *Deum nemo vidit umquam, ut videlicet Deum nemo videat, dum vivit hac vita mortali.* Quod autem dicitur Paulum rap-tum fuisse ad tertium cælum, & Deum vidisse, huic sententiæ non repugnat. Nam quamvis Paulus viderit, hoc factum est educta prius anima extra usum & ministerium sensuum. Est enim anima intra corpus fuerit (quod dubium est ipsi Paulo) tamen à ministerio sensuum fuerat separata. Hoc autem inde colligitur, quod Paulus ait: (*1. Cor. 12.*) *Sive in corpore, sive extra corpus fuerim, nescio.* Quod si ministerio sensuum tunc usa fuisset ejus anima, scivisset certo Paulus se in corpore tunc fuisse. De

A. Mallis

aliis autem quos scriptura refert vidisse Deum, sic accipiendum est, ut intelligamus eos vidisse quosdam Angelos claritate magna fulgentes, qui cum à Deo missi fuerant, divinitatem ipsam quodammodo representabant: quapropter qui eos videbant, dicebant se Deum vidisse. Sic enim dixit Jacob (*Gen. 32.*) *Vidi dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Hoc etiam dicitur de Mose: (*Exod. 38.*) *Loquebatur dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Quod si Moses clare Deum vidisset, frustra Deum orasset, dicens: (*Exod. 33.*) *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut videam te.* Hi ergo omnes, & alii quotquot vidisse Deum in scriptura sacra reperiantur, in imagine Deum viderunt: quamquam de Mose aliqui sentiant Deum clare vidisse, anima tamen ejus à ministerio sensuum tunc abstracta. Sic enim intelligitur quod eidem Moysi à domino dicitur: (*Exod. 33.*) *Non videbit me homo, & vivet.* Et quod Job ait, cap. 38. sapientiam esse absconditam ab oculis omnium viventium, eorum scilicet qui vivunt hæc mortali vita. Verum tunc jam urget id quod Paulus dixit: (*1. Tim. 6.*) *Qui habitat lucem inaccessibleem: quem nullus hominum vidit, sed neque videre potest.* Cui respondeamus Paulum dixisse lucem divinam esse inaccessibleem, non tamen simpliciter, & omnibus inaccessibleem, sed homini. Nam ad hujus confirmationem statim subiunxit, *quem nullus hominum vidit.* Inaccessibilis est ergo, sed homini. Invisibilis est, sed ab homine, sed ab humana sapientia. Sacra siquidem scriptura omnes qui secundum carnem vivunt, homines vocare solet, & humanitatis nota inurere. Unde in 1. ad Corinth. epist. cap. 3. Paulus ait: *Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Et infra: *Nonne homines estis?* Hinc est quod cum in eadem epistola testimonium Balaie protulerit, cap. 64. dicens: *Quod oculis non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum:* postea Paulus subiicit: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.* Quibus verbis manifeste se ab hominis nomine separavit, eo quod non secundum carnem vivebat. Nullus ergo eorum qui propter vitam secundum carnem homines appellantur, Deum vidit, sed neque videre potest. De aliis autem quod Deum in posterum clare videbunt, non potuit Paulus apertius restari, quam (*1. Cor. 13.*) dicens: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Unde patet homines aliquando habituros facialem Dei visionem. De Angelis autem apertissime Veritas dixit: (*Matt. 18.*) *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* Neque huic Salvatoris dicto obviat quod beatus Petrus dicit 1. 2. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Nam Angeli, & vident, & videre desiderant, sicut & alii etiam homines beati videntes desiderant, & desiderantes vident. Beati siquidem videntes Deum, fatiantur, juxta illud Psalmi 16. *Satiabor cum apparuerit gloria ejus.* Satiatatem autem solet sequi fastidium. Desiderium etiam sine consecutione ejus quod desideratur, anxietatem habet, & anxietas poenam. Beati vero omni anxietatis poena carent: quia poena, & beatitudo nunquam coherere possunt. Quapropter ab utroque, videlicet à satiæte, & desiderio, si removeamus omne illud quod poenam inferre videtur, scilicet fastidium, & anxietatem, dabimus beatis satiæte, & desiderium, ita ut removendo à desiderio anxietatem, dicamus eos desiderantes sa-

tari, & separando à satiæte fastidium dicamus eos satiætos desiderare. Bene ergo dicit Petrus, *in quem desiderant Angeli prospicere:* quia etsi vident, videre tamen desiderant: hoc est, sic Dei visionem fruuntur, ut quamvis satiati, nullum tamen inde fastidium habeant. Pro hujus ergo hæresis confutatione satis me dixisse arbitror, juxta eam quam promisi tenere breviter.

Secunda hæresis est, quæ asserit beatitudinem consistere in carnis delitiis. Hic error fuit olim apud quosdam Judæos repertus, qui omnia quæ à Prophetis de Christi regno dicuntur, carnaliter intelligebant. Ex quo errore videatur processisse illa petitio matris filiorum Zebedæi, petentis à Christo: (*Matt. 15.*) *Dic ut sedent hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo.* Nec tamen propter istos sic errantes, hæc hæresim hic collocalem, cum à principio operis statuerim eas solum recensere hæreses, quæ post Christi in cælos ascensionem exorta sunt, nisi quod plures invenio ex eis qui Christo nomina in baptismo dederunt, in hunc errorem fuisse lapsos. Primus ergo qui hunc errorem assuevit, fuit Cerinthus quidam, pessimis moribus affectus. Cujus nationis, aut gentis fuerit, mihi non constat: hoc solum scio illum fuisse coævum beato Joanni Evangelistæ. Nam Beatus Irenæus, in lib. 3. adversus hæreses, cap. 3. de Beato Polycarpo loquens, sic ait: *Et sunt qui audierunt eum dicentem, quoniam Joannes Dominus Discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthus, exilierit de balneo non locus, dicens quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.* Hæc Irenæus. Inter alios ergo Cerinthi errores, is unus est quo asserit post resurrectionem terrenum futurum esse regnum Christi, & homines in carne concupiscentis, & libidinibus subiectam vitam acturos. Hunc eundem errorem aliqui impingunt Papæ Hieropolitano Episcopo, qui fuit discipulus Beati Joannis Evangelistæ. Qui autem illi impingunt, moventur ex quodam dicto Beati Hieronymi, qui in suo libro de Ecclesiasticis Scripturis, de hoc Papia loquens, sic ait: *Hic dicitur mille annorum Judaicam ædificasse deytærosta, quem sequuti sunt Irenæus, & Appollinaris, & cæteri qui post resurrectionem ajunt, in carne cum Sanctis Dominum regnatum.* Hæc Hier. Verum ex verbis Hier. nihil tale habetur. Papiam sensisse, quale est id quod nunc ex Cerintho retulimus. Solum enim ex Hieronymi verbis habetur Papiæ sententiam fuisse Christum iterum in terris secundum carnem regnaturum: & hoc quidem verum est illum sensisse, ut ex aliis plurimis auctoribus constat. Sed non asseruit illum sensisse tale regnum Christi futurum in carnis delitiis, prout Cerinthus dixit. Nec docuit etiam Papias, regnum Dei, quod alio nomine beatitudinem, aut gloriam dicimus, perpetuas habiturum carnis voluptates. Nihil enim tale sensit: Cerinthus autem omnia hæc docuit. Quapropter videtur mihi inter Cerinthus, & Papiam latum esse discrimen, quamvis in aliqua erroris parte conveniant. Uterque eorum istorum sensit post resurrectionem Dominum cum Sanctis mille annis regnaturum in terra. In hunc autem errorem lapsus est Papias motus ex illo quod B. Joannes dicit in Apocalypsi, cap. 20. ubi de justis loquens, ait: *Et vidi animas decolorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inscriptionem in fronte, aut in manu sua, & regnaverunt cum Jesu mille annis: reliqui eorum non vixerunt do-*

& qui non adoraverunt bestiam, id est dæmonem, vixerunt: quia etiam eorum corpora nunc mortua in sepulchris jaceant, tamen eorum animæ habent vitam gratiæ, & gloriæ, & nunc regnant cum Christo mille annis, id est, omnibus annis qui sunt futuri usque ad iudicium. Nam usque ad illud tempus sancti habebunt præcise vitam animæ, & resurrectionem primam: post illud vero tempus habebunt resurrectionem secundam, id est vitam corporum simul, & animarum. Quod autem millenarius numerus capiatur pro universitate, manifeste convincitur per id quod dicitur in Psalmo 104. *Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes: id est, in omnes. Et in Ecclesiastico, cap. 16. Melior est unus timens Deum, quam mille filii impij, id est, quam omnes filii impij. Præterea denarius numerus aliquando etiam ponitur pro universitate, ut apud Matthæum, cap. 25, dicitur regnum cælorum, quod militans est in Ecclesia, assimilari decem virginibus, quo numero omnes homines, tam boni, quam mali designati sunt. Ad denarius numerus, radix est millenarii numeri, qui quadratum solidum est. Nam denarius numerus si per seipsum ducatur, efficit centum. Quod si rursus decem ducas per centum, efficiunt mille. Si ergo denarius numerus pro universitate ponitur, millenarius qui ex denario bis ducto confurgit multo rectius pro universitate ponetur. Cum ergo beatus Joannes de sanctis jam defunctis loquens, dixit quod vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis, sic accipiendum est, ut intelligatur eos vixisse, & regnare cum Christo omnibus annis futuris usque ad diem iudicii. Quibus annis etiam mortui sint corpore, vivunt tamen anima, & regnant cum Christo. De peccatoribus defunctis loquens Apostolus Joannes, dicit: *Ceteri vero mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni.* Quia peccatores defuncti, toto hoc tempore usque ad diem iudicii nullam habent vitam: quoniam eorum corpora mortua jacent, & animæ eorum mortuæ etiam sunt per peccatum. Transactis autem his mille annis, id est, toto illo tempore usque ad diem iudicii, aliquam vitam habebunt, quia etiam animæ eorum per peccatum mortuæ sunt, eorum tamen corpora per resurrectionem vitam quamvis miseram recuperabunt. Vel forte ibi ponitur millenarius numerus pro universitate temporis futuri etiam post diem iudicii, ita ut sit sensus, sancti vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis, id est semper, quia etiam non semper vixerint corpore, post mortem tamen corporis semper vixerunt, & semper vivent in anima. Ceteri vero mortuorum, id est, peccatores, non vixerunt donec consummentur mille anni, id est, numquam vixerunt: quia veram vitam animæ, & corporis amiserunt. Nec ibi illa dictio donec, dicit alicujus temporis finem. Sic enim sæpe ponitur in sacris litteris, ut nullum dicat finem temporis: ut patet in Psal. 109. *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Numquam enim erit tempus, quo Filius Dei non sedeat ad dexteram Patris: & tamen dixit eum sedere donec ponat inimicos illud adverbium donec, possum esse sine aliqua temporis limitatione. Ad hunc etiam modum capitur quod dixit Joannes Evangelista. *Ceteri vero mortuorum non vixerunt, donec finiatur mille anni,* id est, donec finiatur temporis universitas: hoc est, numquam vixerunt. Aliam expositionem horum mille annorum assignat beatus Augustinus, lib. 20. de Civit.*

adferre, quoniam mihi illa non placuit. Hæc autem quam modo retulimus, ab eo etiam assignatur: & mihi verior videtur. Adversus hos *chalcitas*, id est, millenarios, scripsit olim Gennadius Presbyter Malsiliensis: ut testatur Joannes Trithemius in suo libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, quo utinam frui liceret: magnum quidem (ut opinor) nobis adiutorium præbuisset.

Tertia hæresis est quæ asserit nec beatitudinem, nec miseriam esse perpetuam. Hujus hæresis auctor est Origenes. Hic enim (si Augustino, & Theophylo Alexandrino credimus) quasdam alternationes beatitudinis, & miseriam ponit: ita ut transactis aliquot annorum curricularum, animas beatas dicat iterum in corpora mortalia reverti, & in eis corporis molestias pati, & inde iterum ad beatitudinem evocari, & à beatitudine rursus ad miseriam deflecti: quo pacto fiet perpetuus quidam beatitudinis, & miseriam circuitus. Et eodem modo sentit etiam de miseris, ut illos dicat aliquando ad hoc seculum redituros: & inde iterum ad beatitudinem evocari. Unde evenit ut dicat dæmones aliquando fore salvandos. Hæc sententia apertissime convincitur esse hæretica, & ratione, & scripturæ sacræ testimonio. Ratione prius aggrediamur, & percontemur Originem, utrum anima, quæ jam beatitudinem adepta est, sciat suam beatitudinem aliquando finendam: an prorsus ignoret? Si penitus nescit suam beatitudinem aliquando finendam, oportebit tunc Originem fateri, nos in hujus sæculi miseria existentes perituros esse, quam beati sint in illa futura beatitudine: quoniam in hoc sæculo existentes, noscimus finendam esse aliquando beatitudinem: beati autem ignorant futuram miseriam. Nos etiam in hoc sæculo vitam agentes, scimus (juxta Originem sententiam) beatorum felicitatem aliquando desitutam: quod cum ipsi ignorent, consequens est, ut peritiores simus illis. Si autem finem suæ felicitatis sciat anima beata, hæc sola ratione misera esse convincitur, quoniam semper erit cum metu amittendi quod amat. At metus passio quædam est animæ: & qui timet, quodammodo patitur, & quamdam miseriam sustinet. Præterea metus ille vim amoris quodammodo remittit. Tepidius enim quisque amat id, quod esse se aliquando desitutum. Quapropter fiet, ut beatus, sciens suam beatitudinem aliquando finituram, remissè, ac tepide amet eandem. Hoc enim unico, & fortissimo argumento Christus ab amore divitiarum separare nos voluit, quod aliquando peritura essent. *Nolite*, inquit (*Matt. 6.*) *thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi arugo, & tineæ demolitur, & ubi fures effodiunt, atque furantur.* Rursum. Si beatus scit suam felicitatem desitutam, multo beatius, & quietius vivet hic anima in hoc sæculo, quam illic in illa beatitudine: & tanto beatius, quanto melior est spes certa boni acquirendi, quam metus mali imminentis. Miser siquidem in hoc sæculo vivens, spem habet futuræ beatitudinis: beatus autem metu potitur futuræ miseriam, ad quam (juxta Originem) post aliquot annorum curricula est revocandus. Omnis autem argumentationibus, scripturarum sacrarum testimonio agamus, quoniam hæc vehementer urgent. Scriptura siquidem sacra non tantum semel, aut iterum dicit beatitudinem, & miseriam damnatorum esse perpetuas. Unde Salomon in libro Sapientiæ, cap. 3, ait: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Quod si à beatitudine ad miseriam, & à miseriam

ad beatitudinem per continuas alternationes sine cessatione circumeunt, necesse est ut illos tangat tormentum mortis. Et iterum assignans diversum beatorum, & damnatorum statum, postquam de damnatis differuerat, de beatis dicit: (*Sap. 5.*) *Iusti autem in perpetuum vivent, & apud dominum est merces eorum.* Præterea apud Daniele cap. 12, dicitur: *Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro: & multi de his, qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Ecce hic bis uno contextu beatorum statum Propheta declaravit esse perpetuum. Rursum, Gabriel Angelus de Filio Dei incarnando Mariam Virginem alloquens (*Luc. 1.*) ait: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Domus autem Jacob illa est, quæ ibi appellatur domus Israel, scilicet gloria cælestis, cujus magnitudinem Propheta unus admiratur, dicens: *O Israel quam magna est domus tua.* Jacob siquidem ille est idem qui & Israel: eadem ergo domus Jacob, & domus Israel. In hac domo dicit Angelus Christum regnaturum in æternum. At qualiter poterit in illa domo regnare in æternum, si domus non est æterna? Oportet ergo ut domus illa beatitudinis sit æterna, in qua illa possit Christus regnare in æternum. Regnum etiam Christi beati sunt, qui in Apocalypsi clamant: *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Hoc est enim illud regnum, quod coram Pilato Christus confessus est non esse de hoc mundo. Et merito, quoniam alibi de iustis loquens, dixerat: (*Joann. 15.*) *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret: propterea mundus vos odit, quia non estis de mundo.* Si ergo beati regnum Dei dicuntur, quomodo regni Christi non erit finis, si à beatitudine ad miseriam beati aliquando revocantur? Oportet ergo beatitudinem fateri æternam, ut regnum Christi vere dicatur esse sine fine. Ceterum quod de damnatis dicitur, apertissime convincitur per id, quod apud Matthæum, cap. 25, dominus minatur se diciturum peccatoribus in die iudicii: *Ite maledicti in ignem æternum, qui preparatus est diabolo, & angelis ejus.* Et apud Luc. cap. 16, pater Abraham diviti epuloni in inferno sepulto, ait: *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint: nec inde huc transire.* Quibus verbis nihil apertius dici potuit ad Originem insaniam revincendam. Contra hunc errorem scribit beatus Augustinus in lib. 12. de Civit. Dei, cap. 20. quo in loco solum agit argumentis, nullum scripturæ sacræ adferens testimonium. Quod inde venisse constat, quia tunc contra Ethnicos philosophos agebat, quos sacræ scripturæ testimonium parum movere poterat. Contra eundem errorem etiam disputat Beatus Gregorius in Moralibus super illud Job 40. *Assimilabit abyssum quasi senescen-*

tem. Quarta de hac hæresis est, quæ asserit hominem in hac præterita vita posse consequi finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis, quem habebit in patria. Hanc hæresim suscitaverunt quidam homines in Alemania, dicti Begardi, & quedam mulieres dictæ Beguinæ, qui omnes modo quodam honesto, & religioso incedunt. Nam hodie in Germania inferiori vidi ipsemet mulieres sic nominatas Beguinæ, quæ in societate quadam honeste vivunt, sine tamen alicujus voti

expressi emissionis, & cum propriæ suppellectilis retentione: quæ cum volunt, & modus vivendi eis displicet, liberam recedendi habent facultatem, & in toto possunt societatem relinquere. Secus autem se habent Begardi, quoniam hi cœnobita habent, & tria vota, ut alii monachi, domino reddunt. Hanc rationem Begardorum, & Beguinarum hic reddere placuit: quoniam hæc nomina aliis nationibus sunt prorsus ignota, utpote Hispanis, & Italis, & magna ex parte Gallis. Hi ergo Begardi, & Beguinæ, inter alios quos tenuerunt errores hunc docere tentarunt: Hominem videlicet in hac vita posse consequi finalem beatitudinem, quam habebit in patria. Ut autem hunc errorem convincamus, prius oportet beatitudinem definire, ne forte de voce contendamus, & non de re. Sed quoniam juxta Aristotelis præceptum: æquivocum prius est in sua distincta significata partiendum, quam definiatur: ideo multiplicem beatitudinis significationem prius ostendere oportet. Beatitudo siquidem in sacris litteris aliquando, & sæpe capitur pro via ad beatitudinem consequendam. *Beatus vir* (inquit Propheta Regius Psal. 1.) *qui non abiit in Concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege domini voluntas ejus.* Et alibi: (*Psalm. 3.*) *Beatus vir qui timet dominum, in mandatis ejus cepit nimis.* Et ipse dominus apud Matthæum, cap. 5, assignat octo beatitudines, id est octo vias, quibus pervenitur ad beatitudinem. *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* In illa autem vita beata, in qua perfectæ est felicitas, nullus erit luctus. *Ibi enim absurget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum.* Vocatur autem luctus beatitudo quoniam certa via ad beatitudinem futuram, est in hac via lugere, & nolle hic prosperari. Vocatur etiam fides vita æterna, eo quod via quædam est ad vitam æternam. Sic enim dicit Christus, Patrem pro nobis rogans: (*Joann. 17.*) *Hæc autem est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Quem locum beatus Cyrillus pertractans, ait: „ Radicem, arboris, que originem æternæ vitæ, fidem, & veræ pietatis, virtutem esse affirmat. Veram autem pietatem illam, asserimus, cui alieni falsitque cultus crimen iniuri non potest. „ Hæc Cyrillus. Quapropter maxime miror, quod quidam Theologi scholastici illum locum Joannis adserunt, ad probandum beatitudinis præcipuam partem esse Dei visionem, minorem autem esse dilectionem: pro qua re nullum aliud adferunt scripturæ testimonium, quam illud Joannis, quo Christus ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Omittit qualiter hunc locum interpretentur alii, qui partem tantum adversam. Nam eorum interpretatio mere voluntaria est, & ex eorum cerebro prodiens, non autem ex litteræ ordine. Quod si à sacris Doctoribus illius loci intelligentiam peterent, non tantum operis in ea re constans essent. Nec tamen hæc ideo dicta esse volo, ut quis existimet me velle contendere potissimum partem beatitudinis non esse visionem: quoniam neque pro hac parte, neque pro adversa certare volo: cum hic non pertractem hominum varie sententiarum opiniones, sed solum catholicam fidem. Hæc tamen ideo dixi, ut ii qui docent beatitudinis præcipuam partem esse visionem, agnoscat quam debili fundamento inniantur, cum confit illum locum Joannis, de fidei cognitione, quæ via est ad beatitudinem, esse intelligendum. Et hoc ex ipsius litteræ decursu facit.

illime colligi potest. Nam Christus illo loco non orat Patrem, ut illum per claram suæ essentia visionem clarificet, sed per fidei cognitionem. Tunc enim Christus clarificatus est, cum clare cognitus est per fidem, quod sit Filius Dei. Tunc clarificatus est, cum homines crediderunt illum esse Filium Dei. Cum ergo Christus orat Patrem, ut clarificet Filium suum, hoc petit, ut fidem suæ divinitatis hominibus donet, per quam credant illum esse Dei Filium. Et propterea ut ostenderet, quod non sibi soli consulens, sed hominibus prospiciens petit, subdidit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem missisti Jesum Christum.* Hoc est, vitam æternam habebunt, si in te, & in me crediderint. Nec mirari debent, quod dicamus fidem vocari vitam æternam, cum apud Joannem, cap. 3. etiam dominus dicat: *Qui credit in me habet vitam æternam.* Non dixit habebit, sed habet: ut clare ostenderet fidem dici vitam æternam: eo quod via quædam est rectissima ad vitam æternam consequendam. Hanc autem expositionem docet beatus Cyrillus (ut ostendimus) super Joannem. Et in libro de Fide ad reginas, hunc locum idem Cyrillus citans, ut inde convincat Christum esse Deum, sic ait: „Si cum agnitione solius, & veri Dei junctam esse necesse est, & adesse agnitionem Jesu Christi, & vitam hoc æternam parit, quomodo non omnibus manifestum est, quod Deus verus est Christus? Hæc ibi Cyrillus. In quibus verbis id advertendum est, quod dixit: *Vitam æternam parit.* Unde clare patet, quod Cyrillus sentit illum locum esse intelligendum de cognitione fidei: quam ideo dicit vocari vitam æternam, quia parit vitam æternam. Beatus Augustinus etiam hanc interpretationem innuit, non tamen ita expresse ut Cyrillus, sed per quosdam verborum ambages: ideo ejus verba omitto, contentus indicasse lectori. Beatus Hilarius in libro de Patris, & Filii unitate, cum illa eadem Christi verba citasset ad probandam Christi divinitatem, statim hæc verba subiungit: „Vitam æternam fidem, vel loqui hereticæ dicit credere, & separata à Deo Christum, si potes à Patre Filium, à Deo vero sepe omnia Deum à solo unum. Unus enim Dominus est Jesus Christus. Si vita æterna est, Deum solum verum credidisse, sine Christo confitentem, dum est solum verum Deum salutem non dedisse. Hæc Hilarius. Quam ergo tot clarissimi viri doceant, illum locum Joannis esse intelligendum de cognitione fidei, quæ est via ad æternam vitam: convincitur eos falso fundamento inniti, qui illud citant ad probandum præcipuam beatitudinis partem esse visionem. Hæc per occasionem diximus. Nunc autem ad primum hujus causæ caput revertamur, dicentes, viam ad beatitudinem aliquando appellari in sacris litteris beatitudinem. De ista beatitudine sic dicta, non est intentio nostra nunc loqui, quoniam de hac nulli dubium est, quod in hac vita habeatur. Aliquando capitur beatitudinis nomen pro felicitate summa, quam in alia vita speramus. Et de hac agit in Psalmo 83. *Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te.* Et de hac beatitudine præsentem facimus sermonem: ideo definitionem ejus prius statuamus. Divus Severus Boetius sic eam definit: *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Et convenit cum eo quod dicit Augustinus: „Beatus est qui habet quiddam vult, & nihil mali vult: hoc est, beatus est ille qui habet omne bonum quod potest recte velle. Ex quo sequitur illum esse bea-

tum, qui Deum perfecte possidet: tunc enim nostra voluntas satiata est: quoniam Deo habito habetur omne bonum. De illo namque dicitur: *Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquila juvenis tua.* Tunc si quidem replebitur in bonis desiderium nostrum, quando per resurrectionem renovabitur juvenus nostra. Tunc erit satiata nostra voluntas, juxta id quod Propheta ait: (Psal. 102.) *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Beatiudo ergo non habetur, nisi satiata voluntate, & repleto desiderio. At desiderium nostrum in bonis, nullus potest replere nisi solus Deus. Deum autem nemo habet, nisi qui eum perfecte amat. *Qui manet in charitate.* (inquit Joannes 1. 4.) *in Deo manet, & Deus in eo.* Deus autem non potest perfecte amari in hac vita, quia non potest in eadem perfecte cogosci. Quæ enim minus cognoscimus, minus etiam amari necesse est: quoniam ea quæ non cognoscuntur, amari non possunt. At Deus non potest de communione lege in hac vita, clara, & facili notitia cognosci, juxta id quod dicitur in Exodo, cap. 33. *Non videbit me homo & viveret.* Et Paulus ait: (1. Cor. 13.) *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Si ergo in hac vita non potest Deus perfecte, & clare videri: ergo neque amari perfecte: & per consequens, neque possideri: ex quo sequitur, voluntatem nostram non posse hic satiari, neque desiderium repleri. Ex quibus colligitur, non posse fieri, ut homo hic sit beatus ea beatitudine, de qua loquimur. Præterea, *militia quædam est* (ut ait Job cap. 7.) *vita hominis super terram.* Si ergo vita cuiusque hominis super terram quædam militia est: necessario sequitur, ubi beatitudo esse non possit: quoniam beatitudo, & quietem, & tranquillitatem, & securitatem habet annexam, quæ omnia longissime absunt à militia. Ibi si quidem labor, ibi metus. Quapropter nullus militans se felicem clamat, nisi postquam victoriam fuerit adeptus. Neque in ipsa militia quis coronatur, sed post transactum certamen. Cum ergo beatitudo quasi quædam sit beatorum corona, convincitur ut beatitudo non possit haberi in hac vita, quæ est militia quædam. Rursum, idem Job describens vitam hominis, quam agit in hoc seculo, cap. 13. ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur nullis miseriis.* Si miseriis repletur, qui fit ut beatus esse possit? Miseriis, inquam, repletur hæc vita, laboribus plena, cibi, & potus indiga, cibo, & potu defatigata. Hanc humores tumidant, dolores exterminant, ardores exsiccant, aer morbidat, cibi inflant, jejunium macerat, joci solvunt, tristitia consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, senectus incurvat, infirmitas frangit, mors omnino tollit. Quæ omnia velut ex diametro cum beatitudine pugnant: quo fit, ut in hac vita beatus homo esse non possit. Demum præter hæc omnia tam aperta testimonia, extat Ecclesiæ de hæc re definitio. Concilium namque Viennense sub Clemente quinto celebratum, inter octo errores Beguinarum, & Begardorum, quos damnavit, hunc quarto loco statuit: *cujus Decretum ponitur in libro Clementinarum titulo de hæreticis, cap. Ad nostrum.* Contra hanc Beguinarum errorem nullum scio auctorem scripsisse ex professo: propter quod valde miror Guidonis Carmelitæ oscitantiam, qui cum summam de hæresibus scripserit, numquam harum Beguinarum, neque errorum illarum mentionit, cum tamen parum ante ipsum fuerit, & in Concilio Viennensi (ut diximus) damnata. Propter quod oportuit ut ipsum non lateret, præcipue cum Viennense Concilium quadragesima, aut forte paucioribus Guido-

donem præcesserit. Alios tamen Beguinos, & Beguinas recenter Guido in fine sui operis, qui (ut ex dictis Guidonis constat) longissime absunt ab istis, de quibus nos modo locuti sumus. Nam errores istorum Beguinarum, de quibus loquitur Guido, nullo pacto conveniunt qui in Concilio Viennensi damnati sunt.

Quinta hæresis est, quæ docet omnem intellectualem naturam seipsa naturaliter esse beatam: & hæc etiam à Begardis, & Beguinis invenitur, & quinto loco collocatur inter eas octo, quas proxime narravimus esse damnatas in Conc. Vien. Nec immerito à Concilio damnatur, cum expressa sint scripturæ testimonia. Paul. namque ait: (Rom. 6.) *Gratia Dei vita æterna.* Et iterum: (Rom. 3.) *Justificati gratis per gratiam Dei.* Si ergo gratis justificamur, multo magis, & gratis beatificamur. Et iterum: (Rom. 9.) *Non est voluntas, neque currentis, sed Dei miserentis.* Non ergo in seipsa naturaliter est beata quælibet intellectualis creatura. Præterea, si ut Christus ait Marc. 10. *nemo bonus nisi solus Deus*, quia ipse natura bonus, nos autem non sumus boni natura, sed sua tantum voluntate: multo magis oportebit dicere, ut nemo beatus ex sua natura, nisi solus Deus. Rursum, si quælibet intellectualis natura seipsa est beata, nulla ergo intellectualis natura potest esse misera: quoniam ea quæ à natura insunt, nullo modo defici possunt. Hanc etiam hæresim oppugnant ea, quæ adversus proximam hæresim diximus: quoniam si in hac vita nullus potest beatitudinem assequi, consequens est ut homo non sit naturaliter beatus. Valeant ergo Begu-

Sexta hæresis docet, nullam animam ante diem iudicii esse beatam: quoniam (ut ait) nulla anima ante illum diem videt Deum. Hujus hæresis auctores sunt Armenii. Eandem etiam teneant Græci. Verum hi (teste Guidone) multo magis delirant, quoniam sicut negant beatitudinem dari iustis ante diem iudicii, ita etiam negant penam dari peccatoribus ante illum diem. Post istos surrexit Joannes vigesimus secundus hujus nominis Pontifex. Sed ne verbis meis aliquis in hac parte fidem derogat, verba Adriani Papæ referam, qui in suo quarto Sententiarum in calce cujusdam quæstionis de sacramentorum confirmationis ita ait: *Novissime fertur de Joanne vigesimo secundo, quod publice docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod animæ purgatae ante finale iudicium non habent stolam, quæ est clara, & facialis visio Dei: & universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quod nemo in ea poterat gradum in theologia adipisci, nisi primum hunc errorem jasset se defensorum, & perpetuo ei adhæsurum.* Hæc Adrianus. Præter hos sunt adhuc alii hujus erroris patroni, viri quidem illustres, sanctitate perinde ac scientia clari: Irenæus videlicet beatissimus pro Christo martyr, Theophylactus Bulgariae Episcopus, beatus Bernardus. Nec mirari quisquam debet, si tanti viri in tam pestiferum errorem sunt lapsi: quoniam (ut beatus Jacobus Apostolus, cap. 3. ait:) *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Admonere tamen hic oportet lectorem, ne putet hunc errorem aliquid tantorum virorum sanctitati, aut doctrinæ detrachere: nam cum illo tempore numquam Ecclesiæ de hac re quidquam diffinisset, nec res illa fuisset umquam in quæstionem vocata, nec tam expressa fuissent sacrae scripturæ pro illius definitione testimonia, ut non possent in alium sensum utcumque detorqueri: potuerunt eo tempore alterutram partem citra hæresim notam

docere, præsertim cum non desset aliqua scripturæ testimonia, quæ illis quodammodo favere viderentur. Ut autem fidem meam nulli suspectam in hac parte relinquam, volo illorum verba impræsentiarum adferre, ut candidus lector agnoscat ita illos docuisse, quemadmodum nos de illis testati sumus. Irenæus in calce libri quinti adversus hæreses hæc scribit verba: „Cum enim dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est, manifestum est, quia & discipulorum ejus (propter quos, & hæc operatus est Dominus) animæ abibunt in invisibilem locum diffinitum eis à Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: post recipientes corpora, & perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei.“ Hæc Irenæus. In quibus verbis quæ dixit: *Sic venient ante conspectum Dei*, indicavit aperte, animas ante corporum resurrectionem non recipi in gloriam caelestem. Theophylactus autem, exponens illud Apostoli ex undecimo capite epistolæ ad Hebræos: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non accipiunt reprobationem*, sic ait: „Cur, inquit, pusillo animo estis, si certo exagitati nondum sitis pro susceptis laboribus mercedem adepti? quandoquidem quos diximus sancti, estis testimonium per diem sunt nacti Deo perplacuisse, nihil tamen adhuc caelestium promissorum sunt consecuti: tamen fuisse constat nonnullos, ut Davidem Regem, his terræ bonis affectos: haud tamen præsentia hæc ipsi inquirimus, sed quæ in cælo sunt, certiores, & veras promissiones.“ Hæc Theophylactus. Et post hæc paucis intersectis subdidit: „Nonne erga hos nil æquum Deus exhiberet, & his ipsi, si videretur inferre injuriam: siquidem qui in tolerantibus laboribus fuissent priores, in coronis tamen, & præmiis capiendis nos operantur necesse sit? Atqui pergrata est illis hujusmodi expectatio, ut cum fratribus perfectionem, & gloriam adipiscantur. Et quibusdam interpositis iterum ait: *Obtulit pater his qui prius operi infudassent aliquid defugandum, operiri hos interea jubens, & fratres alios, ut una cum his oppare, & ubertim vescantur.* At hi, ut fraterna charitate teneantur, læti expectant, ut inter epulas illas instruantiores, gaudio inter se ineffabili expleantur.“ Hæc Theophylactus. Et idem dicit super 23. caput Lucae, pertractans illud quod Salvator noster dixit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et miror, quod cum de quibusdam aliis illius sententis chalcographus in calce expositionis Evangeliorum lectorem admonerit, istam tamen intactam reliquerit: forte non advertit. Beatus Bernardus sermone tertio in festo omnium Sanctorum, hæc verba scribit: „In illam enim beatissimam domum, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.“ Hæc ibi. Et sermone proximo sequenti, qui quartus est de eadem festivitate, de sinu Abrahe loquens, sic ait: „In hunc ergo locum Salvator descendens contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, eductoque vinculos de domo carceris, sedentes quidem, hoc est, quiescentes, sed in tenebris, & umbræ mortis, jam tunc quidem sub altari Dei collocavit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus in quo procedant, completo jam numero fratrum, & percipi-

